



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.5. Christum Jesum, pro corona spinea, gloriâ & honore à nobis
coronandum esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

efficiatur similior, & eum ornet atque coronet, atque ita
compenset atque suppleat quodammodo, eidem velut ludi-
cro regi olim illatas contumelias, dum pro ejus gloria qua-
cunque adversa hilarè sustinens, eum agnoscat profiteturq;
regem gloriæ, & regem ac Dominum cordis sui.

§. 5.

*Christum IESVM pro corona spineâ, gloriâ & honore
pro nobis coronandum esse.*

Ad extremum: & illud enitere (quod quidem jam dictis
affine est) ut pro sero doloris & opprobrij, quo pro te
cinctus est Redemptor tuus, eum tu pro tuo modulo, glo-
ria & honore corones. Equidem cujusque virtutis gratia
in nobis efflorescens, corona est, quâ ipsi coronemur &
Christus. S. Ambrosius: *Joseph (inquit) coronam habuit* In psal. 118.
castitatis, Paulus justitiæ, Petrus fidei. Singularum virtutum serm. 14.
*coronæ sunt. Solus Christus habet coronam gloriæ, quâ eum
Ecclesia coronavit.*

Sed amat præsertim coronari ijs corollis, quæ de no-
stris doloribus, vexationibus, opprobrijs contexantur,
ipsius amore promptè libentèq; toleratis: quæ licet per-
fese considerata spinæ sint; ut quæ suis nos aculeis acriter
pungant atque vulnerent; ut tamen effectus sunt & argu-
menta amoris nostri, rosæ sunt, quibus ille coronetur. Ita
se visendum aliquando præbuit S. Mechtildi, ornatum co-
ronâ variorum florum, quos sese collegisse diceret ex varijs L. 1. c. 24.
doloribus, quos ipsa in capite pertulisset. Atque uti aliàs
ex Henrici Sufonis vita retulimus, sub pueri specie idem
Salvator cum roseto insidens visus esset amœno, & amplâ
rosarum messe conspiciendo (quibus diversas Beati Viri ve-
xationes adumbrari dicebamus) rosis, de eodem utique ro-
fario decerptis, coronatus apparuit: ut vel sic testatum fa-
ceret, quàm eum delectet nostra patientia, fortitudo ani-

O o o o

mi,

mi, atque gaudium in his, quæ libenter pro eius honore, toleramus.

Igitur quicumque te dolor aut molestia, quæcunque ærumna afflictione exercuerit; offer illa Christo veluti flores suavissimos; & ex omnibus ei sertum confice, quo ille, jucundissimè coronetur. Qui flores si nondum apparuerint in terra tua, est unde incuses sterilitatem amoris tui; ut qui non nisi spinas & tribulos, tot adhuc noxarum in diti germines; patientiæ autem & abnegationis flores nullas proferas, quorum amœnitate ac fragrantia dilectus tuus præsertim capiatur.

CAPVT VII.

Imitatio Christi bajulantis sibi crucem, & cum ea ad montem Calvarie contendens.

§. I.

De ipso mysterio nonnulla.

A Des hinc rursus Regis dolorum amatrix anima, ac mortis oculis ac corde dolore faucio, attende & vide, quàm enormiter tandem increpant cruciatus & opprobria dilecti tui. Ut enim hinc cum Propheta exclamem: *Quis audivit talia horribilia, quæ fecit nimis Virgo Israël?*

Huc igitur indignitatis deventum est! Dei filio, hoc est, ipsi virtuti atque innocentie, per summam injuriam illegamq; sententiam crux decernitur; nec decernitur modò, sed viarum labore, inedia, vigilia fatigato, flagello attrito, & tantum non confecto vulneribus, immisericorditer imponitur, & ferali pompâ agnus innocens, ad supplicij locum, non jam ducitur, sed raptatur. Ergo qui, rele